

Ab exacta PP. Benedictinorum editione, Rev. Godefridus Beaselius, monasterii Gottwicensis in Germania abbas, geminas Augustini epistolas in codicibus Mss. invenit, quas præfatione adornatas edidit Vindobonæ 1732, quasque Jacobus Martin, Maurinus, cum nova præfatione, monitisque ac annotationibus, Parisiis vulgavit 1734. Gravis profecto momenti est hujusmodi adinventum; sed, ne priorum editionum ordo misceatur, utramque epistolam non numero notantes peculiari, numero quem sequatur voculam *Bis* præfiximus, ut videre est post epist. cxxxiv et cclii.

## PRÆFATIO REVERENDISSIMI GODEFRIDI BESELLII,

MONASTERII GOTTWICENSIS ABBATIS,

EDITIONI VIENNENSI PRÆFIXA.

AD ERUDITUM LECTOREM

In prædictas Epistolas.

I. Animas hominum e nihilo a Deo creati, ac singulas singulis hominibus infundi, hodie certissima sententia et catholica veritas est, de qua nulli orthodoxo dubitare impune liceat. Enimvero de hac magni momenti quæstione sub initium sæculi quinti non idem omnes catholice Ecclesie doctores sentiebant, id quod quammaxime ex plusculis magni Aurelii Augustini operibus liquet, quæ hæc super controversia ad diversos exaravit. Celebriora ex his sunt Libri quatuor de anima et ejus origine scripti sub finem anni Christi 419. quorum primus est ad Renatum monachum, alter ad Petrum presbyterum, reliqui duo ad Vincen- tium Victorem, qui tot scribendorum libellorum Augustino ansam et occasionem præbuerat. Rem ipsius Augustini verbis damus, qui libro II Retractionum, cap. 56, hæc habet: *Eodem tempore quidam Vincen- tius Victor in Mauritania Cæsariensi invenit apud Hispanum quemdam presbyterum Petrum, nonnullum opu- sculum meum, ubi quodam loco de origine animæ homi- num singulorum, utrum ex illa una primi hominis, ac deinde ex parentibus propagentur; an sicut illi uni, sine ulla propagatione singulæ singulis dantur, me nescire confessus sum: verumtamen scire animam non corpus esse, sed spiritum. Et contra ista mea ad eundem Pe- trum scripsit ille duos libros, quos mihi de Cæsarea Renatus monachus misit. Quibus ego lectis, responsione mea quatuor reddidi, unum ad Renatum monachum, et duos ad eundem Victorem. Sed ad Petrum, quavis habeat libri prolixitatem, tamen epistola est, quam nolui a tribus cæteris separari. In his autem omnibus, in quibus multa necessaria disserantur, defendi de origine anima- rum quæ singulis hominibus dantur, cunctationem meam, et multos errores, atque pravitates præsumptionis ejus ostendi.* Hæc Augustinus de suis quatuor libris de Anima et ejus Origine.

II. Verum non intra hos tantum libros serius edi- tos ac evulgatos constitit perquisitio Augustini, quin etiam ad eruditissimum Hieronymum insignem dedit librum de Origine animæ hominis, in quo varias re- censens de ortu animæ sententias, cupit doceri quæ potissimum consecranda sit, et qua ratione adversus impium Pelagianorum dogma defendi possit ea, quam ille (Hieronymus) in quadam epistola suam esse indi- cavit, singulas scilicet animas novas nascentibus fieri. Scriptum hunc librum anno 415, verno tempore, cen- sent eruditissimi nostri Benedictini e Congregatione S. Mauri, in nova, eaque politissima candidissimaque editione Operum S. Augustini t. II, Epist. 166. De hoc libro ita ipse Augustinus lib. II Retract., cap. 45, disserit: *Scripti etiam duos libros ad Hieronymum presbyterum sedentem in Bethleem; unum de Origine animæ hominis, alterum de sententia Jacobi apostoli, ubi ait: « Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus » (Jacobi II, 10); de utroque consulens eum. Sed in illo priore quæstio- nem, quam proposui, ipse non solvi: in posteriore au- tem, quid mihi de illa solvenda videretur, ipse non tacui; sed utrum hoc approbaret etiam ille, consului. Tum subdit Augustinus, quid ad hanc consultationem suam Hieronymus responderit, quæque consecuta sint:*

*Rescripsit autem, inquit modestissimus Doctor, lau- danda eandem consultationem meam, sibi tamen ad re- spondendum otium non esse, respondit. Ego vero, quo- usque esset in corpore, hos libros edere nolui, ne forte responderet aliquando, et cum ipsa responsione ejus potius ederentur. Illo autem defuncto ad hoc edidi pri- orem; ut qui legit, admoneatur aut non quærere omnia quomodo detur anima nascentibus, aut certe de re ob- scurissima eam solutionem quætionis hujus admittere, quæ contraria non sit apertissimis verbis quas de originali peccato fides catholica novit in parvulis, nisi regeneren- tur in Christo, sine dubitatione dummandis: posteriorem vero ad hoc, ut quætionis, de qua ibi agitur, etiam quæ nobis visa est, solutio ipsa noscatur.*

III. Porro cum episcopus Optatus de hoc eodem delicato ac spinoso argumento ad Renatum supra- laudatum Cæsaream Mauritanie litteras dedisset, et creationem singularum animarum acriter defendisset, eodem Renato et quodam Muresse petentibus, idem S. Augustinus amplam ad Optatum epistolam rescrip- sit a medio anno 418, in qua pro more suo acute ac perspicue Optato demonstrat, quid de animæ origine certum sit et exploratum, quid jure in dubium voce- tur, satagendumque esse in hac controversia, ut salva sit in primis fides, qua Ecclesia catholica credit, nul- lum hominem ex Adamo nasci, nisi vinculo damna- tionis obstrictum, neminemque inde liberari, nisi renascendo per Christum. Significat eidem præterea, se ad Hieronymum de hac quæstione non brevem li- brum scripsisse: *Consulens, inquit, eum, et petens ut prius me doceat, et tunc ad me mittat quos doceam. Qui liber meus, pergit Augustinus, ut non doctoris, sed inquisitoris et potius discere cupientis, apud me legi potest: mihi vero uspiam non debet, vel cuiquam foras dari, nisi cum rescripta, Domino adjuvante, percepero; id quod ille sentit, promptissime ac libentissime defen- surus, si me docere poterit quomodo animæ non ex Adam veniant, et tamen ex illo justam sortem damna- tionis inveniant, nisi ad remissionem peccatorum rena- scendo perveniant. Absit enim ut credamus, vel animas parvulorum in lavacro regenerationis falsam accipere peccatorum mundationem, vel Deum esse, aut aliquam naturam quam non condidit Deus, illius, ex qua munda- dantur, inquisitionis auctorem. Donec ergo aut ille rescribat, aut ego, si Deus voluerit, aliquo modo discam, si nullam de illa peccatrice originem ducit, quæ causa sit animæ subeundi originale peccatum, quod necesse est esse in omnibus parvulis; et quo eam nec Deus cogit insontem, quia peccandi auctor non est, nec ulla mali natura, quia non est, nihil tale audeo prædicare.* Con- cludit Epistolam suam Augustinus his verbis: *Hæc sicut potui, non quidem ad me datis, sed tamen ad cha- rissimos nostros Sanctitatis tuæ litteris, non peritura quam desiderasti, sed sollicita dilectione respondi, etc.*

IV. Hæc cum ab Augustino accepisset Optatus, biennii inducias inivit, nec Augustino gravissimis aliis scriptoribus obruto molestior esse voluit. Verum cum intra illud temporis spatium, Hieronymi ad Augustini de animæ origine consultationem responsuram advenisse haudquaquam dubitaret, atque adeo Augustinum eo loco jam esse crederet, ut certam ferre sententiam super controversa quæstione posset, tandem alteram ad eundem epistolam perscripsit. Perit quidem ea